

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In die festo S. Stephani proto-martyris

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

vivent offensa? respondit: Tu nosti modum Domine, Ezech. 37. v. 4. Scrutator enim Majestatis, opprimetur à gloriâ, Prov. 24. v. 27.

Impiis verò à Thomâ discamus, ut quæ Christus omnibus in genere acquisivit, nobis in individuo applicemus, dicentes: Dominus meus & Deus meus. Hæc fidei natura & proprietas est, Diaboli & ipsi credunt, Christum Dominum & Deum esse, Jac. 2. v. 19. Sed non salvantur,

quia non dicere possunt: Dominus meus // & Deus meus. Non enim Christus Angelos, sed semen Abraham assumit, Hebr. 2. v. 16.

Veri verò Christiani Christum pro Domino & deo suo habent, certissima fiducia præditi, quod non modò se hîc potenter defensurus, sed & æternum salvaturus sit, ut cum eo fiat & maneat semper.

Fiat id, per Christum, Dominum nostrum, Amen!

IN DIE FESTO S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

Evangelium Matth. 23. v. 25--39.

EXORDIUM.

Cum tempus instaret, quo Deus populum Israel ex Ægypto educere & liberare decreverat, apparuit Dominus Mosi in flammâ ignis, quâ rubus ardebat, & non comburebatur: Propterea Moses in admirationem raptus, dixit: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocavit eum Deus de medio rubi, & ait: Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est. Et postea ait: Ego sum Deus Patris tui &c. Exod. 3. v. 2. seqq.

Mirabilis hæcce apparitio non inconcinne cum incarnatione Domini nostri Jesu Christi comparari potest.

Nos miseri homunciones & ipsi quasi captivi tenebamur in servitute Ægyptiaca

Vid. J. Pfeiff. theol. in Nuce p. 27. 28.

sub potestate tenebrarum, Colof. 1. v. 13. & Diaboli mancipia in æternum fuissetis, Hebr. 2. v. 15. At Deus, qui dives est in misericordia, Eph. 2. v. 4. gratiose nos respexit, & in plenitudine temporis misit Filium suum, Gal. 4. v. 4. qui in libertatē nos restituit; æterna redemptione inventa, Heb. 9. 12.

Ibi apparuit Deus Mosi in flammâ ignis, ignis siquidem est, & quidem consumens, Deut. 4. v. 24. imprimis quando venit iram suam effusus, ut Sodomitæ experti sunt, Gen. 19. v. 24. Quia verò hîc non veniebat, ut iram effunderet, sed pressos Israelitas è servitute Ægyptiaca liberaret, in ejusmodi rubo videbatur, qui quidem ardebat, sed non comburebatur.

Sic & æternus Dei Filius in hunc mundum venit, non animas perdere, sed servare, Luc. 9. v. 56. idè carnem & sanguinem nostrum assumpsit in unitatem Personæ, eique

eique infinitam virtutem, majestatem & gloriam communicat, quo esset caro vivifica, & mundum è potestate Satanz & inferni eriperet, Joh. 6. v. 54. Verbum enim caro factum est, & vidimus gloriam ejus, Joh. 1. v. 14.

Ibi apparuit Deus Mosi, non in procerâ Cedro, aut viridi Lauro, sed in rubo spinis obfuso, qui sine læsione contractari nequit: Sic & Christus in hoc mundo Regnum Crucis habet, qui Regni ejus confors esse vult, spinas non metuat oportet: sed per patientiam currat in propositis sibi certamine, Hebr. 12. v. 1. Pudeat membrum deliciarum sub capite, spinis coronato, inquit Bernhardus.

Ibi dixit Moses: Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Ita & nos hanc vice in aede Domini convenimus, ut mysterium hoc accuratius examinemus. Quomodo concordent, quod heri dictum: Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum; hodie vero concio crucis sequatur, de ingratitude impij mundi, quam trucidando, crucifigendo, flagellando & persequendo in legatis Domini exercet. De qua Servator: Ecce mitto vobis &c.

Nos Instituti nostri memores contemplaturi sumus

I. Triplicem Quærelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Caurelam.

J. J.

Exegesis.

Heri Angelum de cælo venisse, qui concionem de incarnatione Filii

Dei habuerit, audivimus. In præsentia verò Immanuel noster promittit, se in posterum alios Præcones missurum, & per homines Ecclesiam suam gubernaturum esse; ut ita per nostri similes ad Regnum cælorum edoceremur, quia in hac mortalitate oculi nostri angelicam claritatem ferre nequeunt, propterea ait: Ecce mitto ad vos: quod non modò de præsentia, sed & de præterito & futuro intelligendum est. Verbi enim Præcones ceu Angeli Dei, in hac scala Jacobaz adscendunt & descendunt, Joh. 1. v. ult. Qui Mosen misit, Exod. 3. v. 10. is adhuc mittit fideles operarios in messem suam, Matth. 9. v. ult. & porro idem facturus est, usque ad consummationem sæculi. Ideò enim adscendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia, & daret Ecclesie suæ Pastores & Doctores, ad præparationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem corporis Christi, Eph. 4. v. 11. 13.

Quærela respicit

I. Prophetarum tribulationem. Non enim fidelis eorum labor agnoscitur, sed potius obtinet illud Poeta:

Ut rem pro cytharâ gaudet habere
Midas,

Qui enim terrena sapiunt, magis amant aurum, quàm Deum, & ejus verbum, hinc ajunt: Manda remanda, manda remanda, Esa. 28. v. 13.

Succedit persecutio, ubi variis tormentis & suppliciis Christi ministri afficiuntur, adeò ut species Martyriorum enumerari nequeant. Crudelissimè enim illi tractari sunt, modò bestiis obiecti, modò palo alligati igne eminus circumfuso rostri, modò suspensi & in aquis suffocati, modò

capite

capite truncati, modò in oleo affati, aliisque nefandis modis perempti ſunt. Id Machometes in Oriente, & Anti-Chriſtus in Occidente tanto furore hæcenus factitarunt, ut ubique ſanguis eorum, tanquam aqua effuſus, Pſal. 79. v. 3. nec immeritò meretrix Babylonica deſcribitur, quod ebria ſit de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine Martyrum Jeſu, Apoc. 17. v. 6.

Anno 1530. Monachus neſcio quis, in Comitibus Auguſtanis dixit: Difficile eſt, eſſe Lutheranum, tales enim omnibus momentis coguntur expectare iſtum carnificis. Sed num propterea veritas abneganda? Minimè. Potius illud Chriſti locum habeat: Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. Matth. 10. v. 28. 29. Diabolus antiquum obtinet, & habet jam iram magnam, ſciens, quòd modicum tempus habet, Apoc. 12. v. 12. interea nos Deo confidamus, ſicut Lutherus, cum à Georgio Saxonie Duce perſequeretur dicebat: *Zch werde mich vor keiner Waſſerblaſe zu todt fürchten / ob Gott wil / Eſa. 51. v. 12.*

II. *Repudiatam congregationem.* Hanc Chriſtus in eo probat, quòd nos libenter à curvis peccatorum viis abducere, & ad ſe colligere vult. Et hoc congruit officio Chriſti Prophetico: idèd enim in hunc mundum venit, ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum, Joh. 11. v. 52.

Principiò Deus nos omnes fecerat populum ſuum, & oves paſcuae ejus, ut cum Angelis una Eccleſia eſſemus, Pſal. 100. v. 3. Verùm infernalis lupus in ſepta irruerat, & gregem diſperſerat, ut ſicut oves extraverimus, Eſa. 53. v. 6. Ideò Filius

Dei de cælo deſcendit, quærere & ſalvare, quod perierat, Luc. 19. v. 10.

Hoc indies adhuc facit, quando per miniſtros ſuos nos vocat: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos, Matth. 11. v. 28. Hoc ipſo S. Petrus tria millia unâ vice convertit, Act. 2. v. 42.

Idem facit per Sacramenta, Baptiſmum & Cœnam Domini. In Baptiſmo ita nos colligit, ut cives ſanctorum & domeſtici Dei ſimus, Eph. 2. v. 19. in Cœna verò cum ipſo unimur, ut ille in nobis ſit, & nos in ipſo, Joh. 6. v. 65.

Facit illud per crucem, quâ excitamur, ut nos mutuò alloquamur, dicentes: Venite & revertamur ad Dominum, Hoſ. 6. v. 1.

Præſtat illud per conciones legales, quando per miniſtros nos affatur: Revertete, averſatiſſe Iſrael, Jer. 3. v. 13.

Facit illud denique per varia corporalia & ſpiritualia beneficia, quæ funiculi amoris ſunt, quibus nos ad ſe trahit, Jer. 31. v. 3. Sed ut Judæi præfractè dixerunt: Nolumus, Jerem. 6. v. 17. ſic & nos potius inviſimus Eccleſiam malignantium, Pſal. 26. v. 5. aut congregationem hypocritarum, Job. 15. v. ult. quàm collectionem Chriſti, ad quam per verbi Præcones nos vocat: Venite, quia omnia parata ſunt, Luc. 14. v. 17.

Sic promptè obſequimur mundo, cum quo ſpontè concurrimus in eandem luxuriæ diſſolutionem, 1. Petr. 4. v. 4. Verùm Deus invitoſ nos trahere cogitur, nemo ferè eſt, cui religio curæ ſit: Viæ Sion lugent, Thren. 1. v. 4. & plurimi deſerunt collectionem fidelium, Hebr. 10. v. 25.

z z z

Verùm

Verum hoc grave peccatum est, quo Deus moverur, ut ejusmodi præfractos peccatores ad gladium congreget, Ezech. 21. v. 12. & rapiat eos, quasi oves ad macrandum, Jer. 12. v. 3. aut aliis malis cumulat eos, ut nesciant, quid agere debeant, sicut Rex Josaphat, 2. Chron. 20. v. 12.

Quò hoc Christiani devitent, libenter compareant, quando eos Christus per verbum & Sacramenta colligere vult, aliàs spernunt consilium Dei adversus seipfos, Luc. 7. v. 30. nec gustabunt cœnam ejus, Luc. 14. v. 24.

Qui verò promtè se colligi sinunt, illi non modò gratiæ donis fruuntur, quæ Christus in Ecclesia distribui curat: sed & eosdem aliquando in pace congregabit ad patres suos, & die novissimo per Angelos, ad vitam æternam, Matth. 13. v. 41.

III. *Sanguinis innocui participationem.* De quo Christus: Ecce ego mitto ad vos Prophetas &c.

Quis hic Zacharias Barachæ filius fuerit, & quâ ex causâ Christus ejus mentionem faciat, alibi indicatum est. Jam abominationem cœdium perpendamus, quæ in Christianis patrantur. Sicut enim hic Servator ait, ille, qui sanguinem innocuum profudit, hoc ipso reus fit, justî sanguinis, qui à principio mundi effusus est: ille semper à primo ad ultimum vindictam sui postulat, vide Genes. 4. v. 10. Apoc. 6. v. 20.

Hæc sanè magna moles est, quâ hostes veritatis urgentur, quod non modò ubique terrarum homines sunt, qui vindictam Domini implorant, Psal. 94. v. 1. sed suprâ se habent animas occisorum, & infrâ se

pulverem & cinerem, qui similiter non desistunt ingemere, dum Deus sanguinem innocentem vindicet. Fideles enim Christi consortes inter se consentiunt, & qui unum offendit, omnes offendit, ideoque velut membra unius corporis, 1. Cor. 12. v. 27. die extremo conjunctim stabunt, contra eos, qui angustia verunt se, Sap. 5. v. 1.

Quilibet itaque cui animæ salutis curæ est, innocui sanguinis profusionem caveat, est enim peccatum atrocissimum,

1. *Ratione prohibentis.* Qui non est Rex terrenus, sed Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui nos creavit, redemit, & sanctificavit. Non enim absoluti nos Domini sumus corporis nostri, & membrorum ejus, sed Dominus jus sibi reservavit, ideoque in ejus honorem adhibeamus oportet. Quod si voluntatem ejus facere nolumus per obedientiam: ille eandem efficiet per pœnam, potest enim & corpus & animam perdere in gehennam, Matth. 10. v. 28.

2. *Ratione efficientis.* Hic primò rationalis homo est, qui igitur in ejusmodi crudelitatem degeneret, ut alium hominem trucidet?

Sævis inter se convenit utris.

Deus est $\phi\lambda\delta\phi\omega\chi$, Sap. 11. v. 26. qui igitur non amorem vitæ, sed cœdis potius habet, ille hoc ipse demonstrat, quod plauè è Filio Dei, in servum Diaboli degeneravit, Sap. 2. v. ult.

Deindè fortè Christianus, qui per baptismum Christo initiatus est. Cur igitur aded longè à Domino & Magistro suo abscedit?

Christus est lignum vitæ, Apoc. 22. v. 2. Dux vitæ, Act. 3. v. 14. imò vita ipsa, Joh. 14. v. 6.

14. v. 6.

14. v. 6. qui igitur minas & cœdes spirat, ut Saulus, Act. 9. v. 1. ille non partem habet cum Christo, sed ad hostes Christi pertinet. Homicida verò non habet vitam æternam in seipso manentem, 1. Johan. 3. v. 15.

3. *Ratione impellentis.* Hic nemo alius est, quam Diabolus, qui homicida est ab initio, Joh. 8. v. 44. cujus organa omnes illi sunt, qui à Diabolo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, per cœdes & homicidia, 2. Tim. 2. v. ult. idèd sunt ex parte illius, Sap. 2. v. ult. manebuntque ejus in æternum, Apoc. 21. v. 8.

4. *Ratione objecti recipientis.* Quod est homo ratione præditus, ad imaginem Dei conditus: qui verò imaginem Dei devastat, non impunè feret, sanguinis ejus vicissim effunderetur per hominem, Gen. 9. v. 6. Deindè & servus & minister Dei est, quem Paulus judicare, nedum occidere prohibet, Rom. 14. v. 4. Exod. 20. v. 13.

Accedunt quandoque singulares quædam circumstantiæ: si occisus homo pius fuit, homicida templum Dei in illo violavit, ideoque rursus disperdetur à Deo, 1. Cor. 3. v. 17. sin impius homo, hoc ipso homicida ei tempus penitentiæ præcipuit, adeoque peccatorum reatum ejus incurrit, quæ ita eum angustiant, ut aliquando clamaturus sit: Montes cadite super nos, Apoc. 6. v. 16.

5. *Ratione consequentis.* Nihil enim aliud sequitur, quàm Dei ira & indignatio & pœna temporalis ac æterna. Hinc Salomo: Homo, qui violenter egerit in sanguine animæ, etiamsi ad inferos usque fugeret, non sustentabunt eum, Prov. 28. v. 17. Et Christus ait: Qui acceperit gla-

dium, gladio peribit, Matth. 26. v. 32. Et licet Magistratus quandoque ex negligentia munus suum non obeat, tamen Deus vindex erit, quod si non fit in hoc mundo, fiet in altero, Apoc. 21. v. 8.

Videte Dilecti! tam grande peccatum est, si quis innocentem sanguinem effundat, & ejus reatum incurrat. Quilibet igitur caveat sibi, ne hoc crimine se collutulet. Stet enim firmiter: Manifesta sunt opera carnis, quæ qui faciunt, Regnum Dei non hæreditabunt, Gal. 5. v. 21.

De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fluit
I. *Ex gratia divina oblatione.* Propterea dicit Servator: Ecce, ego mitto ad vos, Prophetas, & Sapientes & Scribas. Quamobrem? ut congregem vos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas.

Hæc impromerita Dei gratia est, quam nunquam ab eo petivimus, & tamen adeò clemens est, ut legatos suos ad nos mittat, qui nos obsecrant, ut ei reconcilemur, 2. Cor. 5. v. 20. Per hæc viscera misericordiæ suæ, nos visitavit oriens ab alto, Luc. 1. v. 79.

Miramur meritò mansuetudinem Davidis, quæ Saulem persecutus est, in spelunca, dum occasionem nactus noluit ipsi manus violentas inferre: sed tantum oram chlamydis præscidit, ut hæc mansuetudine suâ eum sibi reconciliaret, 1. Sam. 24. v. 46.

Ah Dilecti! quàm facilè nos Deus in aquis suffocare posset, ut primum mundum, Gen. 7. v. 22. aut igne & sulphure delere, ut Sodomam & Gomoitham, Gen. 29. v. 24. aut terræ mandare, ut nos

deglutiret, ut Core, Dathan, & Abiron, Num. 16. v. 31.

Quàm facile bestiis præcipere, ut nos dilacerarent, sicut duo ursi pueros Berthulenses, 2. Reg. 2. v. 24. vento, ut domus nostras prosterneret, & nos in eis sepeliret, ut filios Jobi, c. 1. v. 19. grandini, ut nos dejiceret, ut Ammonitas, Jos. 10. v. 11. quàm facile api sibilare, & *παραλογίζεσθαι* inducere super nos, Esa. 7. v. 18. Nunquid est numerus turmarum ejus? Job. 25. v. 3. Furor hominum est laus ejus, reliquiis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. Sir. 40. v. 35.

Sed exarserunt in se miserationes ejus, ne faciat furorem iræ suæ, Ose. 11. v. 8. idèd semper gratia ejus justitiæ prævalet, jubetque bonæ spei esse filios suos, quoniam daturus est locum in peccatis pœnitentiæ, Sap. 12. v. 19. & si castigat nos, in judicio castigat, ne nobis videamur innoxii, Jer. 30. v. 11. Judith. 8. v. 17.

Imprimis verò hæc Christi gratia ex eò elucescit, quod legatos suos ad nos mittit, collecturus nos, qui tamen ipsum multis modis offendimus, ideoque satius foret, ut nos legatos nostros, pœnitentiam scilicet & orationem ad eum ablegaremus, quæ sæpè multum apud eum valent, Jac. 5. v. 17. proindèq; agnoscamus, quod variis modis nos ad pœnitentiam invitet, ne divitias gratiæ ejus contempnamus, Rom. 2. v. 4. Tàm citò enim irasci potest, quàm misereri, & ira illius in peccatores non desinit, Sir. 5. v. 7.

II. Ex Tyrannidis perdita limitatione. Hic audimus Christum in plurali dicentem: Ex illis occidetur & crucifigetur, &

ex illis flagellabitur: ex quo consequitur, quod nonnullos relinquere cogantur, quos non possint occidere, crucifigere, & flagellare. Hoc divinæ providentiæ acceptum ferendum, quod si enim in hostium potestate esset, nemo nostrum superesset: sed Deus illis quasi metam posuit, & dixit: usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos, Job. 36. v. 11.

Id testantur exempla Pharaonis, Exod. 14. v. 28. Sennacherib, Esa. 37. v. 29. seqq. Antiochi, 2. Macc. 9. v. 9.

Hic Deus adhuc vivit, & licet hostes violentiâ & insidiis rem agant, tamen meditantur inania, Psal. 2. v. 1. sive cogitant consilia, quæ non possunt stabilire, Psal. 21. v. 12. & licet multos ramos ab arboribus Ecclesiæ recidant, tamen radicem & stirpem eradicare non possunt: nam sine Dei permisso ne capillus capitis nobis lædi potest, Matth. 10. v. 30. & quod hic Immanuel in fronte signat, nec mundus nec infernus ipsi eripere valet, Ezech. 9. v. 5.

III. Ex gallina cœlestis contemplatione, sub cujus imagine nobis Servator dilectionem suam adumbrat.

Moses narraturus, quomodo Deus in principio cœlum & terram creaverit, addit, quod Spiritus sanctus incubuerit aquis, instar gallinæ, quæ ovis incubat, & illa tam diu fovet, dum pulli excludantur: Ita Dei quoque Spiritum chaos informe & immensum, ex quo mundus producendus erat, per incubationem suam ad eò fovisse disposuisse & fœcundasse, ut deindè ex ordine ille formatus, & *κρίσθη*

hic

hic nobis ornatus sit, Genes. 1. per totum.

Quod igitur Spiritus Dei in opere Creationis fecisse dicitur, id Christo adscribendum est, qui venit ut vitam haberemus, & abundantius haberemus, Johan. 10. v. 11.

Scaliger scribit Exercit. 23. quod Egyptii ad Cairum peculiarem rationem habeant ovorum multas centurias in furno excludendi, ex quibus stans diebus pulli agminatim erumpant. Verum in regionibus nostris Septentrionalibus ova gallinis supponenda sunt.

Pari ratione nosmetipsos nos juvare non possumus, sumus enim mortui in peccatis, Eph. 2. v. 5. quod si verò vitam recuperare velimus, Christus nos revivificet necesse est. Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, Joh. 6. v. 40. ipse cibatur nos præstantissimo tritico, Psal. 81. v. ult. ipse potatur nos de fontibus Israel, Psal. 68. v. 27. ipse inumbrat nos tegmine alarum suarum, Psal. 36. v. 8. ipse tuetur nos adversus omnes injurias, ut Apostolos defendit, hinc ait: Quos dedisti mihi, ego custodi, & nemo ex eis perit, nisi filius perditionis, Joh. 17. v. 12. Tandem quoque nos in requiem deducit, & in habitationem pacis, Esa. 32. v. 15. ubi protegimur à contradictione linguarum, Psalm. 31. v. 21. Ibi accipiemus Regnum decoris, & diadema speciei, de manu Domini, Sap. 5. v. 16. 17.

De Tertio,

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Ministerium venerare.* Christus Judæis magnam gratiam exhibuit, dum misit illis

1. *Prophetas*, non ut olim in V. Testam. ubi partim juxta Ecclesiasticam, etiam Politicam jurisdictionem exercuerunt, sicut Moses, Samuel, alique: partim verò tantum verbi Ministerio præfuerunt, & de futurâ gratia prophetarunt, prænunciantes eas, quæ in Christo sunt, passiones, & posteriores glorias, 1. Petr. 1. v. 10. 11. Sed Prophetæ sunt hæc *brodida*, qui è fonte S. Scripturæ de articulis fidei cum fructu differere, aliosque in notitiâ Dei instruere possunt, quo sensu capitur, 1. Cor. 24. v. 1. seq.

2. *Sapientes.* Hi sunt qui potentes sunt exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere, Tit. 1. v. 9. sciuntque proferre de thesauro suo vetera & nova, Matth. 13. v. 15. ad cuiuslibet captum sese attemperantes, præbentque lac parvulis, cibum solidum autem qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni & mali, Hebr. 5. v. 13.

3. *Scribas*, qui à puero didicerunt sacras literas, ut Timotheus, 2. Timoth. 3. v. 15. & ad typum Levitici Pontificis iudicium in pectorali sive in pectore gerunt, Exod. 28. v. 30. ut sic alios pro re natâ, & coram & per literas instruere possint: ne talentum suum abscondant, sed eodem supralucentur, Matth. 25. v. 21.

Tales præstantes viros misit Deus ad Judæos, ut eos ad salutem perduceret, si modò ipsi voluissent. Vult enim omnes homines salvati, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Timoth. 2. v. 4.

Hoc ipsum Judæi gratâ mente agnosce-
re, & legatos Dei reverenter suscipere de-
buissent: sed ipsi subsannabant nuncios
Dei, & iridebant sermones ejus, illude-
bantque Prophetis: donec adscenderet
furore Domini in populum ejus, & nulla
esset curatio, 2. Paral. 36. v. 26.

Hoc exprobrat illis Servator, pœnam-
que annunciat futuram: Nos igitur exem-
plo Judæorum cautius mercati discamus,
legatosque Dei majori reverentiâ suscipia-
mus, qui enim illos tangit, pupillam oculi
Dei tangit, Zach. 2. v. 9.

Ubi requiritur

1. *Respectus verbalis*, ne subsannemus eos,
ut auditores Ezechielem, c. 33. v. 31. sed ho-
noricè de his loquamur, & infirmitatem
eorum pallio caritatis Christianæ tēga-
mus, ut Sem & Japhet, Gen. 9. v. 23.

2. *Respectus Ceremonialis*, ut & externis
gestibus eosdem veneremur, juxta illud
Pauli, 1. Tim. 5. v. 17.

3. *Respectu realis*, ut illis reciprocâ gra-
tiam exhibeamus, Galat. 6. v. 6. 1. Thess. 5.
v. 12.

Hoc illi observent, qui de Ecclesiâ mi-
nistris ignominiosè loqui non verentur.
Videbunt illi aliquando in quem linguis
suis pupugerint, Zach. 12. v. 10. qui enim
illos spernit, non homines spernit, sed
Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum
in illis, 1. Thess. 4. v. 8.

Cum Hanon Ammonitarum Rex, Le-
gatos Davidis contumeliosè tractaret, hic
illud severissimè vindicavit, ut constat ex
2. Sam. 10. & seqq.

Cœlestis David Jesus Christus, quoti-
diè Legatos suos mittit, qui sunt verbi mi-
nistri, cum hâc instructione: Consolamini,

consolamini populum meum, Esa. 40. v. 1.
Verùm impius mundus subsannat nuncios
ejus, 2. Chron. 36. v. 16. ut ejus purgamen-
ta & perisema esse cogantur, 1. Corinth.
4. v. 17. id Rex Regum non impunitum
dimittet, sed contemtores ejusmodi ali-
quando cacodæmonibus traderet, qui eos
sctis & rastis ferreis, & trahis discerpent,
& comburent in furno infernali, ubi man-
dneabunt linguas suas præ dolore, Apoc.
16. v. 17. & pœnas dabunt interitum æter-
num, à facie Domini, & à gloriâ virtutis
ejus, 1. Thess. 1. v. 9. Ne erretis, non irride-
tur Deus, Gal. 6. v. 7.

II. *Justitiam sectare*. Hunc in finem pro-
ponit nobis Servator Abelem justum, ut
alibi quoque vocatur, Hebr. 11. v. 4.

Potest autem justitia considerari bi-
fariam,

1. *In foro absolutæ justificationis*, quâ ra-
tione inter homines justus non reperitur.
Omnes enim peccaverunt, & destituun-
tur gloriâ Dei, Rom. 3. v. 23. Non est,
qui faciat bonum, non est, usque ad unum,
Psal. 143. v. 2. & Jobus, cap. 9. v. 13.

Quod verò à nobis ipsis non habemus,
tanquam ex nobis ipsis, id ex gratiâ dona-
vit nobis Deus, per redemptionem, quæ
facta est in Christo JESU, Roman. 3.
v. 24.

Hæc vocatur justitia imputata seu Evan-
gelica, quàm extrâ nos in Christo unicè
quærimus, qui nobis factus est justitia, 1.
Cor. 1. v. 30. à quo accipimus gratiam pro
gratia, Joh. 1. v. 17.

2. *In foro Politicæ conversationis*. Sine
justitia enim societas humana consistere
nequit. Hinc Cicero eam vocat, Regi-
nam

nam & Dominam omnium virtutum; proprietas ejus est : honestè vivere, neminem lædere, suam cuique tribuere. Christus nervose id ita effert: Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis, Matth. 7. v. 12.

Quicumque igitur in his duabus partibus se exercet, & non modò in Christum credit, sed & fidem suam per opera probat, is in catalogum Abelis referendus & reapse homo justus appellari potest. Talis etiam non exiguum emolumentum inde capit, habet enim benignum in cælis Deum, tranquillam conscientiam, & tandem vitam æternam. Nam Dominus diligit justos, Psal. 146. v. 8. Habitacula eorum benedicentur, Prov. 3. v. 33. cor eorum non reprehendit eos, Job. 27. v. 6. tandemq; expectabunt coronam justitiæ, 2. Tim. 4. v. 8.

III. Pullos imitare. Æternus Dei Filius per varias parabolas φιλανθρωπίαν suam nobis adumbrat. Vocat enim se Pastorem, Joh. 10. v. 12. Sponsum, Joh. 3. v. 29. hominem nobilem, qui abiit in Regionem longinquam, Luc. 19. v. 12. Medicum, Matth. 9. v. 12. cultorem vineæ, Luc. 13. v. 7. &c. sed inter omnes suavissima est quando gallinæ se comparat.

Quodsi ipse gallina; nos pulli ejus sumus, adeoque naturam eorum induamus decet.

Pullus matrem suam diligit : Sic & nos Christum diligamus, qui prior nos dilexit, 1. Joh. 4. v. 19. dicentes cum Ignatio : Amor meus crucifixus est.

Pullus facillè audit vocem matris glorientem : Ita & nos Christi vocem audiamus, Joh. 15. v. 14.

Pullus non potest se contrà accipitrem defendere, sed sub alis matris suæ præsidium quærit : Nos quoque adversus Dæmonis astus protegere nos non valeamus, nisi sub alis gratiæ Christi nos abscondamus, & oremus cum Davide : Protege me sub umbra alarum tuarum, Psal. 17. v. 8. Psal. 57. v. 2.

Pulli sequuntur matrem : Sic & nos sequamur vestigia Christi, 1. Petr. 2. v. 2.

Pulli principio humili loco resident, tandem pennati alta petunt : Ita nos naturâ terrena sapimus, Phil. 3. v. 20. Verùm Christus prævit nobis & cælum ascendit, hunc & nos sequamur oportet, non quærentes, quæ super terram, sed quæ sursum sunt, ubi Christus est, in dexterâ Dei sedens, Col. 3. v. 2.

Quodsi his in partibus pullorum imitatores sumus, tandem cælestem nostram gallinam sequemur in gloriam cælestem : ubi manebimus cum eo semper, 1. Theff. 4. v. 17.

Fiat id per Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.

IN